



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Diluuntur oppositiones ex eodem S. Thoma contra interpretationem  
prædictam. c. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

pressam. Ideo vero asserit, eam similitudinem, aut speciem esse ex parte potentiae, quia secundum potentiam ad eliciendam visionem, quod commune est omnibus speciebus impressis: addit autem, hanc speciem non se habere ex parte rei visae, quia non est prius visa, ut faciat obiectum videri, & hanc solum negat in intellectu vidente Deum, sicut est, hoc est, putat non dari speciem aliquam expressam, qua visa, Deus videatur; sed Deum ipsum proxime, & per se vnitur potentiae actu videnti in locum speciei expressae, qua fieri solet visio, tanquam forma non efficiens: id quod sequenti cap. fiet magis manifestum.

6  
Conferma  
predicta, &  
ostendit S.  
Thomam  
quod de specie  
expressa

Postremo id, quod dicebamus ex mente S. Th. suadetur, & ratio praecedens magis confirmatur, quia nisi ipse loqueretur de specie expressa, quae prius visa videatur, cum negat posse produci speciem Deis, sed intelligit speciem impressam quae esset principium visionis, ut prius visa faceret obiectum videri, tres rationes, quibus probare nititur, impossibile esse, eam produci in intellectu beati, faciles essent & inanes, ut praecedenti disp. cap. 4. monstratum est. Si vero loquatur de expressa, quae prius visa faciat obiectum videri, euidenter, meo iudicio, ostendunt, non posse Deum per illam speciem videri. Nam, ut ibi dicebamus ex sententia Scoti, non potest vnum clare videri per aliud prius clare visum, tanquam per medium, si in medio illo non sit tota entitas, & ratio alterius. Quare per speciem expressam prius visam, quae est interioris ordinis, quam Deus, nec est suum esse, nec est infinita, non potest Deus, qui est suum esse, superioris ordinis, atque infinitus, clare videri: ergo, ne dicamus, rationes Doctoris sancti futilas esse, sed efficaces, melius est in eum sensum, quem exposuimus, mentem eius interpretari, in quem etiam plane videtur loquens, si attente legatur 3. contra Gent. cap. 49. & quaest. 8. de veritate art. 1. Nec in 4. d. 49. quaest. 2. artic. 1. nec vsquam alibi oppositum docuit.

Obiecta.

Solutio.

7

Dices fortassis, B. Th. asserere, diuinam essentiam esse loco speciei impressae ad eliciendam visionem, quod non assereret, si putaret, talem speciem dari posse. Respondeo, nusquam id docuisse, ut disput. 3. demonstrabimus.

## CAPVT II.

Diluuntur oppositiones ex eodem S. Thoma contra interpretationem praedictam.

Prima  
viuenda.

**H**ic expositioni S. Thomae quatuor videntur ob stare; primum est, in hoc art. 2. quod superior e tetigimus, quia scilicet solum negat speciem essentiae diuinae, quia Deus vniatur intellectui, sicut color vniatur oculo per sui similitudinem: sed species, qua color vniatur, est impressa: ergo negat etiam in intellectu beati speciem impressam essentiae diuinae. Tum etiam in oculo non est aliqua species, quae prius visa faciat obiectum videri: sed in intellectu beati, eam speciem negat S. Thomas, quae se habet instar illius, quam in oculo ponimus, ut color ei vniatur: Ergo non loquitur de specie expressa essentiae diuinae, quae prius visa faciat obiectum videri.

Solutio.

Respondeo, in doctrina Doctoris Angelici eam speciem, quam dicit se habere ex parte potentiae, esse solum impressam, quae non visa est principium visionis obiecti; eam vero esse ex parte obiecti, Vasquez in 1. part. Tomus I.

quae est expressa virtute ipsius potentiae, & prius visa facit obiectum videri, & hanc non solum in intellectu putauit esse, cum res intelligitur, sed etiam in visu corporeo. Huic ergo comparat speciem diuinam essentiae, quae se habet ex parte obiecti, quam esse negat: nunquam enim de ea dixit esse necessariam ad eliciendam visionem, vel ad constituendam potentiam in actu primo, sed dixit eam esse, per quam fit visio in actu, vel fit res actu visa: quod sane intelligendum est, quia aut ea est terminus visionis, aut est ipsamet visio. Putauit igitur S. Thomas colorem ab oculo videri per similitudinem illius ab ipso expressam, & quamlibet rem hoc eodem modo intelligi à nobis, quoties illa non habet virtutem, quam habet Deus, ut secundum se vniatur intellectui, sicut res actu intellecta. Atque hac ratione probat, Deum videri in patria, sicut est, quia secundum se proxime, non prius aliqua sui similitudine visa, videtur.

Porro autem S. Th. falsum putasse, quamlibet rem ab intellectu intelligi, intellecta prius similitudine sui, perspicue constat ex 1. lib. contra gent. c. 5. clarius ex 2. lib. c. 11. ubi verbum, & speciem expressam ab intellectu appellat intentionem intellecta, atque existimat illius existere nihil aliud esse, quam intelligi. Subiungit statim, Unde oportet, quod in homine intelligente seipsum, verbum interius conceptum non sit homo verus, naturale esse hominis habens, sed sit homo intellectus tantum: quasi dicat, quaedam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa: id ipsum tradit q. 9. de potentia art. 5.

Intellectio  
nem in nobis  
habet intellectu  
prius rei  
sui similitudine  
S. Thom.  
asseruit.

Hanc autem esse mentem S. Thomae affirmat Capreolus in 1. d. 35. q. 2. art. 1. post quintam conclusionem, & quamvis idem Capreolus dicat, hoc solum docuisse de specie expressa intellectus, quod scilicet ea prius videatur, non autem de specie aliqua expressa sensus externi, nusquam enim hoc videtur dixisse: nihilominus ipse S. Thomas non negat esse in visu expressam similitudinem obiecti, tamen praesentis, & è regione positi, quo actu videatur, & fiat praesens non secundum locum, sed secundum rationem cogniti: ea, quod omnis cognitio sit, aut habeat actu similitudinem obiecti cogniti, quam actuale, & expressam appellant, non habituale, seu impressam. Huic autem comparat similitudinem expressam essentiae diuinae, quam dicit non dari in beatis, quia in eius doctrina haec species expressa, seu verbum intellectus hoc habet peculiare, ut ipsum prius videri debeat, imo nihil aliud sit, ipsum intelligi, quam obiectum cognosci: cum ergo essentia Dei, non videatur medio idolo, & similitudine prius visa, quia nullum idolum ita simile Deo exprimi, & figurari potest, ut ipso viso videatur Deus, sed videatur ipse, sicut est, consequenter negat, eam per expressam similitudinem videri.

Verum obijcies id, quod idem S. Thomas 4. contra gent. c. 11. dicit, nempe similitudinem expressam distinguere à recognita: probat autem hoc modo: quia aliud est intelligere rem, aliud vero ipsam intentionem, hoc est, verbum productum, & expressum: hoc enim cognoscit, cum supra se intellectus se reflectit: existimat igitur, directe ab intellectu non intelligi verbum quando in ipso rem cognoscit.

In hanc  
S. Thom.

Respondeo ex mente Doctoris sancti bisariam cognosci posse verbum, & speciem expressam, primum quatenus est similitudo relata ad ipsum obiectum:

Solutio.

10

i. e. cum:

S 3

iectum: sic autem cognoscitur eodem actu, quo res ipsa, & obiectum, imo nihil aliud est rem ipsam cognosci, & obiectum, quam intelligere, aut videre similitudinem illam, siquidem, ut docuit S. Th. id, quod videtur ab intellectu, non est res ipsa naturalis secundum suum esse, sed idolum, & similitudo illius in intellectu expressa. De hoc autem modo cognoscendi speciem expressam loquitur S. Thomas locis paulo ante allegatis. Deinde potest verbum, & similitudo illa cognosci quatenus qualitas quedam in se est, nec ut actu relata ad obiectum: & hoc fit per actum reflexum, de quo loquitur posteriori illo loco 4. contra gent. cap. 11.

S. Thom.

Aristot.  
Doctrinam  
S. Thom.  
aucto-ritas  
confirmat.

Imo vero videtur expressa doctrina Arist. libr. de informijs, & imaginibus capite vlt. & clarius de Memoria. & reminiscencia c. 2. cum inquit: Qui ergo rei absens memoriam replicare possumus? licet enim rem absentem oculis cernere, & auribus accipere: an ita fit ut in animali, quod in tabella expictum est; hic enim tum animal penicillo expressum, tum imago habetur. Sic phantasma in nobis se habere, arbitrari debemus; separatim ut spectrum, aut phantasma esse, quatenus ad aliud refertur, imaginem reddi, & ad memoriam accommodari. Itaque cum huius naturae sentientem mouet animam, quod separatim est, eatenus illius sensu anima afficitur, & quasi notio, aut phantasma subire videtur. Quod si ab alio emanet, quasi imaginem homo contemplatur, & Coriscum non conficitur, tanquam Coriscum spectat. Quibus dilerte nobis tradit Arist. duplicem illum modum cognoscendi similitudinem interius expressam.

II  
Secunda  
obiecto ex  
S. Thom.

Secundo contra superiorem interpretationem S. Thomæ videtur esse id, quod ipse docet in 4. d. 49. q. 2. art. 1. ad 15. videlicet triplex esse medium in visione corpora, & intellectus. Primum medium sub quo, & hoc ait esse lumen, vel corporale, vel spirituale, quod perficit potentiam in vniuersum non determinans ipsam ad aliquod obiectum peculiare. Secundum est medium, quo videtur res, & hoc est (inquit) forma visibilis, aut intelligibilis. Tertium est medium in quo, id scilicet, cuius inspectione ducitur visus in aliam, sicut speculum se habet ad visum corporalem. Dicit deinde, in visione clara Dei primum tantum medium reperi, scilicet lumen, non tamen secundum & tertium: ergo sentit, ibi non esse speciem impressam intelligibilem, quam dixerat esse secundum medium.

Solutio.

Respondere possemus primum, eo loco S. Thomam oppositum docuisse, ex alijs tamen testimonijs allegatis optime colligi expositionem quam tradidimus. Deinde adhuc defendi potest, nihil ibi docuisse contra id, quod hactenus diximus de specie expressa: nam cum negauit secundum medium, quo res videtur, quod dixerat esse formam intelligibilem, possemus eum interpretari de specie expressa, quæ etiam est forma intelligibilis, imo faciens intellectum in actu: porro autem hoc medium, appellauit medium Quo non medium Quod, non ideo, quia existimaret, illud non cognosci: sed ideo appellauit medium Quo, quia est medium, ut aliud cognoscat, & hac ratione solum est Quo. Neque propterea hoc medium cum tertio confunditur, etiam si illud sit prius cognitum, quia secundum medium saltem in intellectu ita videtur, ut quod, & est ratio videndi obiectum, ut sit intra potentiam, & eius esse sit cognosci. Tertium autem medium est extra, & illius esse est cognosci.

Tertio contra eandem interpretationem obijcere possumus id, quod ipse ait infra q. 58. art. 2. nempe omnia, quæ Beati intuentur in Verbo, videri simul, quia vnica specie intelligibili, scilicet essentia diuina, intuentur: quæ autem vna specie videntur, simul videntur. Respondeo, per speciem intelligibilem S. Th. intelligere verbum expressum; & quia putauit non esse aliam in Beatis præter ipsammet essentiam diuinam, quæ secundum se nullo alio medio videtur, ideo dixit eam esse loco speciei intelligibilis, hoc est, loco speciei expressæ, seu verbi: nusquam tamen dixit, eam esse speciem intelligibilem ad eliciendam visionem. Mitto id, quod asserit infra q. 56. artic. 3. etiam si contra prædictam expositionem pugnare videatur, nam quid ipse senserit, ibidem explicabitur.

Tertio obijci-  
tur.  
S. Thom.

Solutio.

Ceterum quanuis hanc existimem esse mentem S. Thomæ, ut verbum, & species expressa prius videatur, ut per illam obiectum intelligamus, & hac ratione visione beatifica non exprimi verbum aliquod, sed essentiam ipsam Dei esse loco speciei expressæ; probabilius tamen cum multis Thomistis existimo oppositum, ut disput. præcedenti cap. 2. probaui, nimirum in omni beatitudine pariter verbum, & similitudinem expressam produci, vel potius intellectiōem, aut visionem esse ipsum verbum, quod ita est visio, vel intellectio rei, quæ obijciatur, ut ipsum non cognoscatur prius, sed absque vilo medio prius cognito obiectum intelligatur: id quod experimento competunt esse: nam siue intell. etu, siue in phantasia cum ego cogito rem aliquam ab'entem, & magnam, ut montem, aut ciuitatem, id, quod ita magnum apparet, non est similitudo aliqua in ipsa facultate intellectus, aut phantasie inhaerens: ea enim, quæ est in phantasia, parua est: quæ vero in intellectu, omni prorsus quantitate, & figura caret: sed est res ipsa, & obiectum representatum, quod ita cognoscitur, ut non intelligatur, vel cognoscatur instar alicuius formæ, & similitudinis in nobis expressæ. Hac autem ratione in visione clara Dei nihil obstat, quo minus detur verbum essentiae diuinæ, quod non prius visum, ipsam, sicuti est, representet, & cognosci faciat: id quod præstare non posset, si prius videri deberet, ut rationes S. Thomæ optime demonstrant, sicut præcedenti capite dictum est.

Aucto-ritas  
placitum.

13

Verum obijciat aliquis Anselmum in Monol. Obijciatur c. 31. ubi sic ait: Cum enim cogito notum mihi hominem Anselm. te- absentem formatur acies cogitationis mee in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi, quæ imago in cogitatione verbum est. Quibus verbis significare videtur ipsum verbum mentis à nobis cognosci. Respondet eum eodem loco Anselmus dicat, hanc imaginem esse cogitationem ipsam, & cogitatio non sit id, quod cogitatur, & cognoscitur, nisi actu reflexo, illis verbis citatis voluit significare ipsam imaginem videri, sed solum aciem, hoc est virtutem intellectus eliciendo illam imaginem in se, ita ea formati, ut fiat intelligens rem, quam repræsentat.

14

Solutio.

## ARTICVLVS III.

Utrum essentia Dei videri possit oculis corporalibus.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod essentia Dei videri possit oculo

57

4. d. 49. q. 2. art. 2.

oculo corporali. Dicitur enim Iob. 19. *In carne mea videbo Deum*, &c. Et 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.*

2. Præterea, August. dicit vlt. de Ciuit. Dei cap. 29. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, scilicet glorificatorum non ut acutius videant, quam perhibetur videre serpentes, vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre quam corpora: sed ut videant, & incorporalia. Quicumque autem potest videre incorporalia, potest eleuari ad videndum Deum, ergo oculus glorificatus potest videre Deum.

3. Præterea, Deus potest videri ab homine visione imaginaria. Dicitur enim Isaia 6. *Vidi Dominum sedentem super sol.* &c. Sed visio imaginaria à sensu originem habet: phantasia enim est motus factus à sensu secundum actum, ut dicitur in 3. de Anima: ergo Deus sensibili visione videri potest.

Sed contra est, quod dicit August. in libro de videndo Deum ad Paulinum: Deum nemo vidit vnquam: vel in hac vita, sicut ipse est: vel in Angelorum vita sicut visibilia ista, quæ corporali visione cernuntur.

Respondeo dicendum, quod impossibile est Deum videri sensu visus, vel quocumque alio sensu, aut potentia sensitiuæ partis. Omnis enim potentia huiusmodi est actus corporalis organi, ut infra dicitur. Actus autem proportionatur ei, cuius est actus. Vnde nulla huiusmodi potentia potest se extendere vltra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra ostensum est, vnde nec sensu, nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur: *In carne mea videbo Deum saluatorem meum*: non intelligitur quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Similiter quod dicitur, *Nunc oculus meus videt te*: intelligitur de oculo mentis: sicut Ephe. 1. dicit Apostolus: *Det vobis spiritum sapientia in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri.*

Ad secundum dicendum, quod August. loquitur inquirendo in verbis illis, & sub conditione. Quod patet ex hoc quod præmittitur, longe itaque potentia altius erunt, scilicet oculi glorificati, si per eos videbitur incorporea illa natura. Sed postmodum hoc determinat dicens: Valde credibile est, si nos visuros mundana tunc corpora cæli noui, & terræ nouæ, ut Deum vbiq; præsentem, & vniuersa et-

iam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed sicut homines, inter quos viuentes motusque vitales exerceant viuimus: mox ut aspiciamus, non credimus viuere, sed videmus. Ex quo patet, quod hoc modo intelligit, oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicuius vitam: vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se vitabile, sed sicut sensibile per accidens: quod quidem à visu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitur. Quod autem statim visis corporibus diuina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex refulgentia diuinæ claritatis in corporibus innouatis.

Ad tertium dicendum, quod in visione imaginaria non videtur Dei essentia, sed aliqua forma in imaginatione formatur, representans Deum secundum aliquem modum similitudinis, prout in Scripturis diuinis diuina per res sensibiles metaphoricè describuntur.

Conclusio est: Deus non potest videri oculo corporeo. Ea vero intelligitur non solum de potentia ordinaria Dei, sed etiam de absoluta, quod manifestam in se contineat contradictionem, Deum oculo corporeo videri. Doctrina est inter Scholasticos sine controversia, quam paucis sequenti disputatione explicabimus.

## DISPUTATIO XL.

An essentia Dei oculo corporis à Beatis videatur.

## CAPVT I.

Quid de hac re senserit Augustinus.

Quid de hac re senserit Augustinus, cap. 1.

Deum non posse oculo corporeo videri, cap. 2.

Obiectiones ex locis Scripture de prompta, cap. 3.

Es quidem satis erat indubitata inter Scholasticos, & reliquos Ecclesiæ Patres, Deum oculo corporis non posse videri. August. tamen, qui de rebus abditissimis, ut erat ingenio acuto, feliciter disputare consuevit, 22. de ciuit. Dei c. 29. docuisse videtur, Deum oculo corporeo non solum posse, sed etiam nunc à beatis videri: quem locum Augustini refert S. Th. in hoc art. in 2. argum. & in bonum sensum ipsum interpretatus, asserit, Augustinum nihil ibi certi definisse, sed inquirendo tantum, & quasi dubitando, id proposuisse: nam postquam dixisse videbatur, Deum oculo corporeo, habenti tamen modum spiritualem, videri posse; temperans quodammodo sententiam in fine capituli ait in hæc verba: Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tantæ excellentiæ menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod visis exemplis siue Scripturarum testimonijs diuinis, vel diffinile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum